

bum Dei; sed generalis, ut ita dicam, traditio de perpetua sanctitate Deiparæ, quæ ab Apostolis in Ecclesiam descendit, Patrumque est litteris conservata. Ad eam vero, Sancto Spiritu afflante, tunc Ecclesia respexit, cum diem festum Nativitatis Deiparæ consecravit. Atqui sanctitas illa perpetua, quæ difertis est Patrum significata dictis, constare non posset, nisi peccatum originale a Virgine excluderet. Igitur ex quo uno principio concludere potes, ac debes, Mariam, cum nasceretur, sanctam fuisse, ex eo colligas opus est, culpa etiam originis caruisse.

Eodem in loco, ubi auctor libelli de festo disserit Nativitatis, celebritatem illius testimonio commendat Petri Cellensis (a), qui epistola 23. lib. 6. epistolatum sic habet: *Nativitas Virginis, crescente fidelium devotione, addita est præclaris Ecclesie solemnitatibus.* Sed quæ sequuntur in eodem auctore, malitiose prætermisit. Nam & summam restantur Ecclesie Romanæ auctoritatem, & certum iudicium, quod falli non potest in cultu publico decernendo: *Utinam, falsa veritatis auctoritate, lance communis consilii hæc domina, & moderatrix totius Christianitatis Conceptionem Virginis librasset, & approbasset; a mari usque ad mare hanc propagasset: sole, idest Apostolico, ac luna, idest curia Romana præeunte, tam secure, quam expedite gressus meos ponerem, & disponerem, ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidum, & securum.* Scripsit eam Cellensis epistolam ad Nicolaum à S. Albano, qui Conceptionis celebritatem a Canonicis Lugdunensibus nuper invecam egregie probaverat, Divumque Bernardum id egre ferentem, cum esset in eum subiniquior, acerbius notaverat. Ergo Bernardo adstipulatus Cellensis unum hoc reprehendit in Lugdunensibus, quod inconsulta Romana Sede festum indixerant. Quippe in alia ad Nicolaum epistola Conceptionis Mysterium mirifice prædicat (b): *Credo, dico, assero, & juro, Beatissimam Virgine*

(a) Floruit anno 1168. paulo post S. Bernardum.

(b) Lib. 9. epist. 10.